

niebam salubriter, et moriebar vitaliter, gnarus quid mali essem, et ignarus quid boni post paululum futurus essem. Abscessi ergo in hortum, et Alypius pedem post pedem. Neque enim secretum meum non erat, ubi ille aderat. Aut quando me sic affectum desereret? Sedimus, quantum potuimus remoti ab aedibus: Ego fremebam spiritu, indignans turbulentissima indignatione, quod non irem in placitum, et pactum tecum, Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa mea clamabant, et in coelum tollebant laudibus, et non illuc ibatur navibus, aut quadrigis, aut pedibus, quantum saltem de domo in eum locum ieram, ubi sedebamus. Nam non solum ire, verum etiam pervenire illuc, nihil erat aliud, quam velle ire, sed velle fortiter, et integrè, non semisau-
ciam hac, atque hac versare, et jactare voluntatem, hac parte assurgentem, cum alia parte cadente luctantem. Denique, tam multa faciebam corpore in ipsis cunctationis aestibus, quae aliquando volunt homines, et non valent, si aut ipsa membra non habeant, aut ea vel colligata vinculis, vel resoluta languore, vel quoquo modo impedita sint. Si vulsi capillum, si percussi frontem, si consertis digitis amplexatus sum genu, quia volui, feci. Potui autem velle, et non facere, si mobilitas membrorum non obsequeretur. Tam multa ergo feci, ubi non hoc erat velle, quod posse: et non faciebam, quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat, et mox, ut vellem, possem, quia mox, ut vellem, utique vellem. Ibi enim facultas ea, quae voluntas; et ipsum velle, jam facere erat, et tamen non fiebat. Faciliusque obtemperabat corpus tenuissimae voluntati animae, ut at nutum mentis membra moverentur, quam ipsa sibi anima ad voluptatem suam magnam, in sola voluntate perficiendam.

CAP. IX. ANIMUS QUARE AD BONUM TARDUS?

Unde hoc monstrum? et quare istud? Luceat misericordia tua, et interrogem, si forte mihi respondere possint latebrae